



# The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *CALCUTTENSIS***

**(*BALASORENSIS*)** \* QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS EX ARCHIDIOECESI CALCUTTENSIS,  
NOVA CONSTI. TUITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA,

«*BALASORENSIS*» NOMINE Rerum condicio catholicarum, quae et vigere magis magisque in Calcuttensi archidioecesi videntur, et pleniorum inde requirunt procurationem, profecto inducunt ut, propositum accipientes Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, certa de eadem archidioecesi territoria detrahamus, iisque novam praefecturam apostolicam condamus. Hoc enim perspicuum est constatque inter omnes, ubi multiplicentur ecclesiasticae circumscriptiones copiaque sacrorum Antistitum fiat, uberiores ibi oriri colligique pastoralium laborum fructus. Suprema ideo usi Nostra potestate sequentia decernimus ac iubemus. Ab archidioecesi Calcuttensi eam territorii partem separamus, quae finibus districtum de Balasore, de Mayurbhanj et de Keonjhar terminantur eandemque praefecturam apostolicam constituimus, ex urbe Balasore *Balasurensis* appellandam. Eam praeterea provinciae ecclesiasticae Ranchiensi adiungimus atque Sodalibus Congregationis Missionum regendam concedimus, ad Nostrum tamen atque Apostolicae Sedis nutum. Nova igitur praefectura apostolica iis cunctis iuribus fruatur, quibus eiusdem ordinis Ecclesiae, ad normam Codicis Iuris Canonici. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri quinto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. Congr. pro Gentium Evangelizatione

Rodmons Galligani

pro Apostolicae Cancellariae Regente Eugenio Sevi, Protonot. Apost.

---

Iosephus Massimi, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 1, pp. 12-13

© Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana